



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Wvlphrannvs Ep. 20. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Itatim anno libentiùs infulam posuit, quàm sumpsit. Mira quæ patravit plurima alia narrant, & inter hæc feras abactas à pascuis, ab agris aves, ex corporibus tortores damonas, corpus quoque ejus post annos quadringentos decemque & octo integrum mirantur. At me judice majus miraculum tu facies juvenus, si vel pauculos illos annos, quibus vives, integrum corpusculum servabis. *Ex Bedâ.*

O quàm compositum reddit omnem corporis staturam, nec non & mentis habitum disciplina! cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat, format incessum. S. Bern. in Ep. ad Soph. V.

S. WVLPHRANNVS EP. 20. Martij.

WVLPHRANNVS est Senonum Pont. idemque Frisiorum Apostolus. Ad hos cum mari contederet, & Ministro sacer calicis orbis imprudenti in undas excidisset, jussit brachium hunc in aquas tendere. Tendenti continuo orbis, spectatores Christo adhaerunt. Morem vel Gente suam barbarum magis, quo victima Diis improbis juvenus innocens cadebat, non uno miraculo antiquavit. Nam & suspensum puerum à laqueo absolvit, &, ut geminis aliis, qui mari exæstuant præda expositi fuerunt, succurreret, sicco pede undas perambulavit, & dextram hunc, illum sinistra molliter prehenso ad litus eduxit, mox meliore aquam, & Christiano ex more mersos mari restituit incolames. Atque his miris filium etiam Ducis Radbodi ad Christum pertraxit, sed non Radbodum ipsum. Nimirum jam factis undis etiam iste admoendus, cum ex WVLPHRANNO intellexisset, Majores suos, Ducesque Frisonum omnes (qui

(qui quidem superstitioni dediti fuissent) inferis damnatos esse, exclamavit improbo joco, malle se cum pluribus & Majoribus suis etiam apud inferos, quam sine his, & cum pauculis aliis apud Superos degere. In hac sententiâ ludibria demonis mali firmarunt, qui aureos illi montes, certè aurea palatia pollicirus est, Et jam iverat legatus à Radbodo missus, qui Deorum munera inspiceret: jam inspecta probaverat oculus fascinatus, cum socius, quem WULPHRANNVS addidit, vana ædificia unico signo crucis omnia destruxit. Radbodus interea prius, quàm nuntij redirent, ad illos suos plures abiit. Ex Lippelo.

Renovetur cor à carnalibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei & amor patriæ celestis: recedant ab ore arrogantia & derogatio, & succedant peccatorum confessio & bona de proximis æstimatio; assumatur continentia & innocentia, ut contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. S. Bern. sent.

B. AMBROSIVS SANSEDONIVS C.

20. Martii.

Senis ortus AMBROSIVS SANSEDONIVS natalem noctem communem cum D. Thoma & Iacobo Mevaniensi habuit. Eam ne candidam orbis dubitaret, tergemina calculo suo Luna notavit; manè deinde vox probavit pueruli *ad scholas, ad scholas* conclamantis, qui quidem causam clamoris rogatus, tres Principes Doctores natos respondit. Porrò AMBROSIVS infans manibus captus pedibusque ea vincula in æde D. Dominici rupit. Viros Religiosos in nutricum brachijs risu salutabat, nec alio magis quàm imaginum aspectu delectabatur, profanas longè repellens, sacras osculis